



**Forum Competens Quæstionibus ex Universo Jure  
selectis, atque ad praxin utilissimis illustratum, Seu  
Tractatus Canonico-Civilis**

**Friderich, Melchior**

**Ingolstadium, 1709**

§. IV. An si Clerici & Laici communis est causa, solus Judex Ecclesiasticus  
cognoscat?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61662](#)

*in C. fin. de Foro comp. in 6. aliósque, cumulari judicia, & debitum (tametsi unicum sit, ac propterea continentia causæ detur) peti apud Judicem secularem, simúlque propter juramentum, utpote quod est spirituale, peti à Judice Ecclesiastico, ut partem cogat ad observationem juramenti, vel ut Judici seculari scribat, ut ipse ad hoc cogat debitorem. Rationem dant: quia juramentum adiicit forum foro, cit C. fin. de Foro Comp. in 6. habéntque paratam executionem, sicut sententia & instrumentum depositi. L. 2. ff. de Jurejur. & Bart. ac DD. ibi : Verūm duo hīc casus distingueendi sunt. Primus, quando constat de juramento & debito, reo id non negante, sed moram duntaxat trahente, aut ex iniquitate solvere recusante. Alter, quo reus negat, se contraxisse, vel juramentum adjecisse, aut debere eo modo, quo petitur &c. Primus casus non differt ab eo, quem modō proposui n. 580. & sic iuxta opinionem ibi propositam uterque Judex adiri poterit. Quoad alterum varia est responsio DD. qui enim jurisdictionem Judici seculari extendunt ad factum rei spiritualis, concedent, secularem decidere prædictam quæstionem posse, videlicet utrum juramentum contractui adjectum fuerit, an non; cùm hæc sit facti quæstio: negabunt verò, qui tenent (uti tenent plurimi, de quibus infrā à n. 676.) laicos cognoscere non posse dæribus spiritualibus, tametsi quæstio solum super facto vertatur.*

## §. IV.

*An, si Clerici & Laici communis est causa, solus Judex Ecclesiasticus cognoscat.*

## SUMMARIUM.

- 583. *Solus Judex Ecclesiasticus cognoscit, si Clericus & Laicus simul delinquunt.*
- 584. 585. *Solvuntur opposita.*
- 586. *Judex laicus non potest irruere in ædes Clerici, ejusque complicem*

- plicem extrahere. Nec ab eodem exigere impensas in captura  
complicis factas.
587. Complex Clerici in delicto notorio judicari à Magistratu seculari potest juxta multos.
588. Si inter plures cohæredes unus est Clericus, omnes conveniuntur coram Judice Eccles. Ulti etiam, si ipsi heredes inter se super divisione litigant. Aut, si Clericus & Laicus sunt simul executores testamenti.
589. Nec non, si agitur judicio communi vel contra plures tutores & curatores, inter quos est Clericus.
590. In causa individualia frater Laicus gaudet immunitate fratris Clerici.
591. Inter litis consortes, si unus habet privilegium fori, eodem gaudent & reliqui.
592. Major habens rem communem cum minore restituitur in integrum.
593. Nec præscriptio locum habet in rebus laico cum Ecclesia communibus, nisi eo tempore, quo præscribitur contra Ecclesiam.
583. Celebris hæc est & sæpe agitata controversia, ut ait Fachin. L. 9. Controv. Jur. c. 31. ac idcirco separatim hic tractanda, tametsi ejus decisio satis ex modò dictis pateat. Quemvis à suo Judice competente, Clericum ab Ecclesiastico, Laicum à Laico, judicandum esse, docent Gutierrez L. 1. præl. quest. q. 6. Cravetta consil. 232. Cevallos p. 2. q. 69. n. 7. Gaill. de Pace publ. c. 1. n. 29. Covarr. practic. quest. c. 24. n. 1. ubi contrariam opinionem, de qua mox, opinatur esse falsam, opinione nimis facili, ac nullatenus illis, quas adducit, rationibus fundatâ. Hos aliósque non non paucos sequuntur ex Theologis Thom. Sanchez in Opusc. tom. 1. l. 3. c. un. dubit. 30. n. 5. Molina de Just. tr. 3. disp. 49. n. 24. Bonacina tom. 3. in Bull. Coenæ disp. 1. q. 16. pun. 5. n. 20. ac aliij. Utrumque tam Clericum quam Laicum à Judice Ecclesiastico jūdicandum esse tradunt plurimi, ac propè innumeri, quos allegant Covarr. l. c. Fagnan. in C. Nullus de Foro comp. à. n. 29. Delbene

*de Immunit. Eccles. c. 10. dubit. 17. n. 2. & Sperelli Decision. Fori Eccles. decis. 19. n. 4. ex quibus Barthol. Socin. in L. cum Senatus ff. de Rebus dub. & Scaccia L. 1. de Judiciis caus. c. 11. n. 24. testantur, hanc sententiam praxi receptam esse, ac teste Pignatellitom. l. consult. 481. n. 1. iteratò declaravit S. Congregatio Immunitatis, debere Episcopum de tona causa cognoscere, & laicum à què ac Clericum judicare. Seclusis etiam his declarationibus vera est hæc decisio ex eo, quòd si duo Rejudicandi sunt ab eodem Judice, unus Clericus, alter Laicus, cognitio pertinet ad Judicem Ecclesiasticum, juxta ea, quæ paulò ante dixi n. 579. Atqui si plures ejusdem delicti sunt rei, convenienti sunt coram eodem, Judice, ut pariter ex communi DD. dixi n. 569. Unde Fachin. l.c. §. *Continentia præproperè & nimirum fidenter dixit, nullam, si Clericus peccat cum laico, continentiam causarum dari. Ratio, quam affert, quòd diversæ sint personæ delinquentes, nulla est, cum manifestum sit ex Juribus & DD. hactenus allegatis, diversarum jurisdictionum personas ob continentiam causæ coram eodem Judice conveniendas esse. Videatur Mynsinger cent. 1. observ. 4. ubi refert, ita iudicatum fuisse à Camera Imperiali. Verum quoque non est, causam alterius non esse connexam alteri: cum sit idem utriusque & conjuncta malitia patratum delictum. Hoc autem juxta communem DD. continentiam causæ habet.**

584. Neque obest, quòd juxta C. Clerici & C. cùm ab homine de Judic. C. si diligenti C. si Clericus C. Licet de Foro comp. Judici Ecclesiastico cognitio causarum Clericorum, seculari secularium competit: hoc enim regulariter quidem procedit, sicut quòd quilibet Reus coram Judice suo immediato convenientius sit; non tamen si specialis ratio, videlicet continentia causarum, jubeat adiri Judicem Ecclesiasticum, vel mediatum Superiorem.

585. Pariter non obstat, quam objiciunt, Bulla Pij V. edita 26. Maij anno 1563. nam fuit correcta & ad terminos Juris communis ac Concilij Trident. redacta per aliam Bullam Pij V. die 20. Jun. anno 1566. emissam, ut bene notat Scaccia l.c. Denique non

adver-

adversatur, quem opponunt, textus L. si quis uxori ff. de Furt. Nam, ut benè advertit Ambrosin. Tract. de Immunit. Eccles. c. 20. n. 9. cùm uxor de furto non teneatur ob res viro subtractas sit. L. si quis §. 1. si aliis, qui opem ei præstítit ad furandum, hanc immunitatem haberet, impunitus evaderet. Undemirum non est, quòd privilegio uxorū non gaudet, ut ibidein dicitur. Hac autem ratio in nostro casu non militat. Quidquid sit de rationibus intrinsecis, & consuetudine alicubi contraria, nostra sententia decisa fuit à S. Congregat. Cardin. teste Scaccia l. c. & Pignatelli l. c. Videri possunt Tiber. Decian. Tract. crim. lib. 4. c. 9. a. n. 44. Scaccia l. c. & Ambrosin. de Immun. Eccles. c. 10. n. 5. ubi adversantium argumenta solidè refellit.

586 Quemadmodum verò contrariæ opinionis praxim non damno, ita nonnulla circa eam advertenda duxi. Primum est, quòd nullo modo licitum sit Judici laico ejusve Ministris irruere in domum Clerici & concubinam v. g. inde extrahere. Quia hoc foret jurisdictionem coactivam & violentiam contra ipsum Clericum exercere: quod esse vetitum laicis adversus Clericos, patet ex suprà dictis de Immunitate Clericorum. Alterum est, tolerandam non esse consuetudinem quorundam Judicium laicorum expensas factas in captura & custodia suspectarum foeminarum postea à Clericis exigentium. Cùm enim Clericus, ut ponitur, foeminam capi non jussérít, & suo delicto expensarum illarum causa tantum per accidens fuerit, consequens est, quòd earum exactio quoad Clericum haberet rationem pœnae, quam constat Clericis à laico inferri non posse. Accedit, quòd per hujusmodi condemnationem in expensas judicium feretur de crimine Clerici nec citati nec auditii. Hoc autem excedit potestatem Judicis secularis.

587. Denique dissimilandum hīc non est, doctrinam modò traditam, ab Anchar, aliisque compluribus limitari quoad concubinas publicas Clericorum: harum enim delictum esse mixti fori, posséque eas puniri etiam à Judice laico. Quod Sperelli cit. decis. 9.

n. s.

n. 5. in puncto Juris putat esse verius, eò quòd Praelatus tolerans publicum Clerici concubinatum censeatur causam velut abdicare, eámque quantum attinet ad feminam complicem, ad Judicem laicum remittere. Addit tamen, se neque in isto casu vidisse procedi à laico Magistratu, sed ab isto solere admoneri Praelatos, ut provideant & hujusmodi scandala tollant. Concubinarius autem notorius est, qui ut talis per sententiam fuit condemnatus, aut in judicio se talem est confessus & in confessione perseverat, aut si crimen in judicio fuit probatum, & conclusum in causa. C. *Vestra* & C. *ult.* de *Cohabit.* *Cler.* & *mul.* C. Cum olim de V. S. C. 1. de *Confess.* C. *Exceptionem de Exception.* L. *Ictus fustium ff. de Infamib.* L. *Sciant C. de Probat.* L. *Gesta ff. de Re judic.* Aut sintoniorum sit pér evidentiam rei, que tergiversatione aliquā celari non possit, ut dicitur cit. C. *ult.* de *Cohab.* *Cler.* & cit. C. 7. & 8. Quin dicitur publicus & notorius Concubinarius, qui feminam suspectam domi retinet, eámque à Superiore monitus non vult dimittere, uti expressè decisum esse à Concilio Basileensi sess. 20. refert Diaz in *Pract. crimin.* c. 73. & sumitur ex C. *Si quisquam 2. de Cohabit.* *Cler.* De notorio Concubinatu fusè Farin. *Oper. Crimin.* p. 5. tit. 16. q. 188. p. 2.

588. Ut autem veritas eorum, quæ hactenus de continentia Causarum dicta sunt, tantò melius eluceat, juvat ex iis, quæ inde sequuntur, aliqua in medium afferre, & doctrinam generatim traditam exemplis illustrare. Itaque consecutarium inde est I. Quòd si plures coheredes conveniuntur, v. g. pro præstandis alimentis, aut solvendis debitis defuncti, interque eos est Clericus, omnes pro eadem causa communi conveniendi sint coram Judice Ecclesiastico. Bartol. in L. *Præcipimus C. de Appell.* & in L. *Solent ff. de Alim.* & *cibar.* *legat.* Felin. in C. 1. de *Præscript.* n. 6. Marant. de *Ord. Jud.* p. 4. dist. 11. n. 21. Benzon. de *Censur. tr.* I. disp. 16. lib. 5. c. 1. §. *Præter Juris.* Pariter, si disceptent super divisione hæreditatis, ac inter reos sit Clericus, controversia per Judicem Eccles. est dirimenda. Bartol. in cit. L. *Solent col. pen.* Mar-

fil.

fil. in repet. ad rubric. ff. de Fidejuss. n. 134. Car. de Grassis de Effect. Cleric. effect. l. n. 520. Eadem est ratio de casu, quo Clericus & laicus sunt executores testamenti: conveniendi enim sunt coram tribunali sacro. C. Joannes 19. de Testam. & ibi Zabarella, Alexand. in L. Præcipimus C. de Appellat. Marsil. l.c. n. 19. Jason in L. Si emancipati C. de Collationib. col. 4. Barbat. in rubr. de Offic. Deleg. col. 2. Car. de Grassis l.c. n. 494. Benzon. l.c.

589. II. Si contra plures agendum judicijs communibus, videlicet familiae herciscundæ, communi dividendo, finium regundorum, vel plures tutores, aut curatores ejusdem tutelæ vel curæ, & ex iis unus sit Clericus, adeundus est Judex Eccles. Felin. in C. de Præscript. n. 6. Marian. Socin. in C. Prudentiam de Mut. petit. n. 30. Gratian. tom. 3. Discept. for. c. 641. n. 6.

590. III. Tametsi in materia dividua fratres laici non gaudent immunitate ex persona fratriis Clerici, cum quo habent communia bona pro indiviso, ut post Speculat. tit. de Cleric. conjug. n. 14. § 15. ac alios bene tradunt Ferret. de Gabellis n. 436. & Car. de Grass. l.c. effect. 3. à n. 86. ac propterea cogi possint laici addividendum bona eum in finem, ut constet, quanta sit portio, ex qua collectæ solvendæ ab ipsis sint, juxta Speculat. l.c. §. I. V. ad hujus Capra regul. 96. n. 7. ac alios: si tamen causa sit individua, fratres laici ex persona fratriis Clerici imunitate gaudent. Specul. l.c. Dec. in Auth. Cassa C. de SS. Eccl. col. 2. Natta vol. 1. consil. I. n. 10. § consil. 54. n. 2. Surd. vol. 3. consil. 301. n. 80. arg. L. Si communem ff. Quemadmodum servit. amitt. Exemplum sit de onere hospitandi seu hospitium dandi militibus, à quo cum immunis sit Clericus juxta L. 1. C. de Episc. & Cler. etiam quoad domos patrimoniales juxta declarationem S. Congreg. Card. apud Barbosa lib. 1. de Jure Eccl. c. 39. §. 5. n. 71. fratres quoque laici in eadem domo habitantes immunes sunt. Natta & Surd. ll. cc. Universim in materia individua Clericus & laicus simul conveniendi sunt coram Judice Eccles. Bartol. in L. Præcipimus §. 1. C. de Appell. Marian. Socin. l.c. Matthesilaus notab. 144. V. si in causa individua. Qua de causa laici

N nn

laici

laici non ligantur statutis laicorum quoad jus, quod individuum habent cum Clericis. Aretin. *consil.* 23. n. 3. Rochus de Curta *tr. de Consuet.* *sect.* 8. n. 62. Decian. *tom.* 1. *Tract. Crim.* *lib.* 2. *cap.* 35. n. 6. Carol. de Graff. *l. c. effect.* 2. n. 55. Covarr. *Pract.* *qq. c.* 34. n. 2. cum Bald. Aretin. Bartol. Socino ac aliis.

591. IV. Si inter litis consortes est Clericus aliisve habens privilegium eligendi forum, omnes ratione connexionis eodem privilegio gaudent. Riccius *p. 3. decis.* 179. *in fin.* Novarius *tr. de Elect.* & variat. *Fori q. 45. sect. 1.* & latè ac doctè Vivius *Decis. Neapol.* *decis.* 521. Menoch. *consil.* 136. n. 22. *arg.* L. 2. C. *de Episc. & Cler.*

592. V. Major habens communem rem cum minore, ratione connexionis gaudet restituzione in integrum. Aretin. *consil.* 25. n. 3. Jason *in L. Si mater C. de Inoff. testam.* n. 10. Cephal. *lib. 5. consil.* 661. n. 76. Covarr. *l. c.* Oddus *tr. de Restit.* *in integr. q. 46. art. 4.* ubi complures allegat.

593. VI. Si laicus rem habet communem cum Ecclesia, adversus ipsum non habet locum præscriptio, nisi tanto tempore, quanto opus est ad usucapiendas res Ecclesiæ. Innocent. & Panorm. *in C. ad audientiam de Præscript.* Marsil. *Singul.* 180. Jason *in L. Si emancipati C. de Collat.* n. 17. Natta *consil.* 590. *in fin.* Surd. *cit. consil.* 301. n. 83. Universim immunitas concessa uni ex socijs communicatur & alteri. Gloss. *in L. fin. C. de Muner.* & honor. Jason *l. c.* Cephal. *cit. consil.* 661. n. 78. Surd. *l. c. n. 80.* Gratian. *consil.* 130. n. 6. Schrader. *p. 3. de Feud.* c. 4. n. 13. Ex quo colligit Sperelli *decis.* 41. n. 75. colonos Clericorum non teneri ad onera secularia.

CAP.